

10
GODEFRIDI BIDLOO,
VINDICIÆ

QUARUNDAM DELINEATIO-
NUM ANATOMICARUM,

CONTRA

INEPTAS ANIMADVERSIONES

FRED: RUYSCHII,

PRÆLECT: ANAT: CHIRURG: & BOTAN.



LUGD. BATAVORUM,

Apud JORDANUM LUCHTMANS,

MDCCXCVII.

ÆQUIS, ERUDITIS, SAGACIBUS

RERUM

ANATOMICARUM

ÆSTIMATORIBUS

S.



irari desine, quisquis Ruyschianas pervolvere divulgatas nuper non dedignatus fueris epistolas, me, ad tot ac tantas calumnias, opprobria, irrisiones & quicquid porro ineptiarum, ab longo tempore, Prælectorem Ruyschium in me evomere splendida jussit bilis, nil reponere; vides enim me lcommatum & injuriarum impetu laceratum obrutumque quasi, amicorum inter suasiones hortatusque varios, dudum dubium, defensionis causæ meæ partes tandem suscipere responsoriasque exornare: par autem pari referre non studebo, turpi hac ex arena victor non decessurus, ut qui totidem calumniis calumnias reponere totidem, par non sum quique improbi exempli, quâ iste utitur, scripturiendi methodum

A

ex-

existimavi semper. Pudefaciendam non semel duxere morigeri pariter pariterque eruditi, insulsi hominis animi intemperantiam, sibi dictaturam in Republica Anatomica vindicantis asperrimèque in aliorum dogmata, scripta laboresque imperium exercentis; proscindentis dictariis viros, doctrina ipso superiores, moribus meliores quorumque diffusissimam eruditionem facilius carpit, quam æmulatur; parili tandem in me quoque sævit cæcus furore & dum nefanda meditatur, molitur, conatur; exultat, gloriatur, me aliisque tacentibus, fractis bonis, lætantibus improbis, transiisse se Rubiconem.

Impunitatis spes illecebra peccandi maxima.






Iræ impatientem ecquid pudet virum (virum enim credo, honestum verò vel nemo honestè suspicatur) rixantium adinstar muliercularum infimique subsellii hominum, convitiis prosequi? quos (de me non loquor) Meritis & Virtute vincere impotens est? sed quis ipsum furori reddidit veteri? atque æstus graves reposuit animo? nunquamne abibunt ipsius odia? nunquam; vivaces ipsi esse experior iras. Dum autem præterita cum præsentibus mecum reputo, agnosco me felicem; annos enim ante decem & octo me blasphemum, postea obtrectatorem renunciavit, nunc famæ insidias tendens invidus meæ, lenocinii infimulat. Obstupesco malè feriatum, ne dicam flagitiosum, hominem ter una in Epistola, de verecundia verba facere ipsumque, vel jam, ne aliquod quidem ingenuitatis specimen exhibere, non erubescere: sed ignosce (Lector
spe-

spectatissime) animi huic fervori meo, fateor & ultro; erravi, impossibilia ab isto peto, erubescere qui non potest; expallescat ergo morum carcinoma, tranquillitatis studiorumque infensissimus hostis, dignior contemptu, quam insectatione: nefarii autem ejus acuminis fautores, quique ipsi a consiliis, manu & Epistolis sunt, nescios nolo, me malle ab Ruyschio audire leno, quam ab viro honesto, maledicus: si enim ipsum non Lanionem, sed ganionem, si obscœnum, si impudicum dixissem, nonne benè natis horrendus, probis execrandus extitissem? potuissem tamen, animo si, vel odio, Ruyschio parvissem & invenissem, ut ipse, vereor, qui vitrici tantæ nequitiaë lascivientique scommati panegyrim cecinissent; eo præsertim infausto temporis momento, quo de partibus (per excellentiam) muliebribus earumque in puerperis dispositione deque infantium natibus earumque comparatione, cum maturarum virginum genis; imo de parte quâdam, non sine rubore & summâ ex necessitate detegenda, tam petulanter verba faceret, ac si stimulum venereo juvenum pruritui æstuantium tentiginemque tentigini superadde-re, solummodò sibi proposuisset turpis & infamis Orator. Sed lubet, nec licet ulterius hæc altiusque repetere, ne tuâ abuti videar modestiâ. Judicii quoque trutinæ tui quas, ab multo tempore, obtrufit, Anatomiaë præsertim tyronibus, ineptias appendere, ne attentioni injurius sim tuæ, ratum non duco; longior quippe quam decet, si fieri foret hæc

supellectilis series, perlustratis responsoriis ejus, in novem problematicas suas Epistolas, onerosum judicatu non erit, famosa quid de ipsius Rerum Anatomicarum scientia in genere quidque de erroribus (ut meas vocat demonstrationes) meis, majusculo Θ , sed & nigro ab ipso notatis, colligendum sit in specie.

Ne autem blaterare & cum larvis, vel larvatis certare videar, ipsa in Problemata, quibus, suæ admirator doctrinæ & præco, omnibus longè antepo- nendus adulatoribus, quorundam præfigere nomina voluit, non inquiram; partim ne, qui vel nomine tenus, mihi non innotuere lædam partimque ne, apologiæ meæ terminos in alienum solum alteriusque & innocentis in detrimentum & incommodum extendere dicar.

Conabor itaque (omni prorsus relicta mendorum, errorum figmentorumque Ruyschianorum farragine) solummodò quas ante decem & tres annos orbi literato exhibui humani corporis delineationes anatomicas ejus ab injuria vindicare; eas malè ab ipso, ut chimæricas castigari, è contrario probare œconomix animalis & partium dispositioni, corpus vivens integrantium esse convenientes, consentaneas, analogas. Secundò specimen quoddam Ruyschianæ artis, doctrinæ & industriæ exhibere anatomicæ; non neglecturus tertio, politioris ejus literaturæ exempla in doctiorum deponere sinum; Augiæ enim illud stabulum ab fordibus purgare in totum, Herculeis, non verò meis, par est labor humeris.






Fig: I.





Fig: VI.



Ad nauseam usque, me in Glandularum sub primo universali corporis tegmine collocatarum erravisse delineatione: quinimo illas papillas non Pyramidales; sed rotundas, in Theatro Anatomico declamavisse prælectorem Ruyschium, omnium memoriâ auditorum excidisse non reor. Sed quæ hæc censoris imprudentia? epist: quippe primâ, pag. 10. vide hujus tab. primæ Fig. 5. ope microscopii veram papillarum harum delineationem & fig: 7. easdem naturali magnitudine duplo majores, malè an benè adhuc non moror, pyramidales figurâ exhibere laborat. Quid hoc rei est? ego illas, pro modulo meo, opere meo anatom: (vide figuram meam sextam) pyramidales & subrotundas exhibui; sed en ipsissimam meam delineationem & literarum explicationem. Tegmen est (cutis nempe) ex *A. papillis supra apertis nervis glandulisque pyramidalibus & subrotundis conflatum. Hisce interposita sunt aquosorum vasculorum B. capillamenta. Papillæ hæc binæ conjunctim lineas ducunt rectas ac per patentia vasorum retia ad cuticulam usque pergentes, è glandulis C. irrigantur. in trium vel quatuor papillarum medio locantur D. sudoris vasa, quibus E. pili implantantur; ubi verò pilo carent, pororum nomine indigitantur suntque variæ figuræ, pro cutis extensione, vel complicatura; ille pro sua methodo illas quoque, pyramidales delineandas tradidit; addens ille Epist: 5. pag. 3. Mirari certè licet, quod hujus novi inventi beneficio, papillæ pyramidales, ut & corpus reticulare sub cuticula prædeant. Menses verò post tres, dum scilicet me convitiis profcindere constituit, oblitus harum E-*

pistolarum, pyramidalem negat papillis figuram, depressas & globuloso rotundas asserit meque in rebus anatomicis rudem pronunciat: ecce primum ingenue & veræ partium demonstrationi incumbentis animi pariter pariterque doctrinæ Ruyschianæ specimen. Mortalium neminem admodum in me meaque injuriosum credo, ut prælectorem Ruyschium levem & mutabilem, non dicat atque hac in re suam defensionem meæ neget suffragium. Dixi enim, quod ipse affirmat, demonstravi quod ipse demonstrare conatur.

Ego hæc papillas pyramidales & subrotundas (vide fig: 6.) delineavi, non quod vel clariss: Malpighii, vel mea unquam fuerit sententia (egregium verò Ruyschianæ inscitiae exemplum) nerveo-glandosa hæc corpora mathematicè, sed comparativè esse pyramidalia & subrotunda: quam crasse porrò erraverit, rete subcuticulare foraminulis pertusum verè rotundis, ope microscopii (vide fig. IV.) adaugetaque duplo, eorum magnitudine (vide fig. VI.) exhibens, patet, cum pro papillarum motu & dispositione, compressione, intumescencia, flacciditate & similibus corporis reticularis foraminum figura mutari debeat: ut proponitur, fig. nova I. Corneum autem corpus hoc, nec papillas demonstrabit hæc, ut credo, marmoreas; rigida enim si exstarent, inflexiles & immobiles, eadem esset omnium allidentium contractandarumque materialium sensibus perceptio; posse eas extendi, deprimi, vi externa; intumescere, flaccescere liquorum spirituumque copiâ, aut penuriâ atque ab vicinarum partium

tium compressione, vel & inter sese, mutatâ quarundam figurâ, aliarum itidem ut & superficiem partis in qua sunt, nec non, consequenter, foramina, sive aperturas corporis reticularis cui inhærent, figurâ quoque juxta papillarum circumscriptiones, debere mutari, nemo (Ruyfchio excepto prælectore) inficias ibit. Ratum huic ratiocinio, duxi quatuor sequentes subjungere demonstrationes, quarum prima, desinentes omnes in apicem

A. Pyramidem, ab basi quadrata æqualibus lateribus; secunda

B. Pyramidem ab basi variorum laterum; assurgentem, exhibet: tertia autem,

C. Proponit demonstrationem partim conicam partimque planam & quarta,

D. Semiconicam perpendiculariter Sectam.

ut pateat glandularum papillarium foraminumque prædictorum faciem externam (i.e.) circumscriptiones, non verè hisce mathematices figuris convenire, eas autem Pyramidali & conicæ demonstrationi esse proximas. Videat Prælector Ruyfchius; morbosa si ipsius nulla teneat oculos & mentem caligo, an demonstrata hæc demonstrandis respondeant & an mutem, ut ipse, quadrata rotundis.

Cuticulæ verò, tegminis Corporis universalis primi, expansæ desiccataeque dispositionem, ut sese oculo exhibet armato delineare, extra scopum non credidi (faciem enim ejus exteriorem & quo modo sese in vivis, partibus conjuncta vicinis, habeat, exhibui olim)

olim) Fig. ergo I. tab. II. delineatur cuticulæ, ab manus dorso, sive parte exteriori avulsæ, portiuncula; in qua observanda; cuticulæ

A. A. A. Planum, vel superficies tensilis & tenax.

B. B. B. Foraminula vera.

C. C. Foraminula fibrosis plexiformibusque ab cuticula emissionibus ornata.

D. D. asperitates, sive tubercula & E. E. concavitates & sulci varii cuticulam interfecantes.

Cuticulam ut & papillas pyramidales (parte quæ, in vivis præsertim, superna apertæ sunt) porosas exstare mercuriumque sacculo coriaceo superius arctè ligato, inclusum, digitorum compressione cuticulam, corpus reticulare papillasque pyramidales, variis permeare locis rorisque adinstar, per hæc organa posse propelli perque eadem fluere, ostendit Fig. II.

Mercurium verò, nisi, ut supra, comprimatur, ipsam cuticulam solam, vel cum sibi adjuncto reticulari corpore desiccata, non permeare primisque hanc gestationis mensibus embryonibus esse tenellulam, sed & tensilem, firmam, duram ac quasi solidam, adaucto ejus corpore, molliorem & comparative, porosiorum evadere, ratione & experienciâ eorum constat, qui corium præparantes, vitulos mox post partum necatos, iis, qui lacte sunt usi, præferunt, utpote ex quorum cum cuticula cute molliore, corium quoque flaccidulum, minus tenax, mollius & vilioris pretii, paratur: hæc & alia hoc positum spectantia, cum sint perspecta satis, hisce verbum non addo.

Tab: II.

Fig: I.







Fig: II.





I N

EPISTOLAM SECUNDAM:

Epistolâ secundâ pag. 6. animadvertit monetque fe
 in Tabulis meis , vasa pericardii non videre (de-
 notat , ut suspicor , sanguifera & tab: 21.) quòd illa non
 videat , meâ non fit culpâ , cum pericardium & vasa
 hoc in organo apparentia , sub Lit. D. adumbraverim ,
 nominatim licet ea & specificè non indigitaverim. pag.
 verò 10. & 11. me , reprehensione clandestina (heu!
 quàm lepidè) id est , meo suppresso nomine , petens ,
 conqueritur , ac si tota populi periclitaretur salus ,
Arterias per pericardium distributas non tantummodo à ne-
mine hæctenus delineatas , verùm etiam à variis neglectas , aut
rudiori tantùm minerva descriptas , neutiquam verò depictas.
 post rudiozem hanc tautologiam , sibi & pro me re-
 spondet : id quod nequaquam mirari subit , quandoquidem
 sub vulgari cultro Anatomico rarò , aut nunquam apparent
 & Epist. 5. pag. 6. fatetur vasa sanguifera pericranii , pa-
 tellæ , tibiæ aliarumque partium integumentorumque mem-
 branosorum ab Anatomicis , haud fuisse depicta neque in admi-
 nistrationibus quæ publicè celebrantur , ab illis indigitari (sed
 addit , indulgens homo huic mendæ , ut , scilicet , solet)
 quandoquidem illa vasa rarissimè , si unquam , in sensus incur-
 rant in vulgari sectione. Ego qui omnia , quoad fieri
 potuit , ut sese exhibent , delineanda tradidi quique
 vasa , quæ rarò & hoc in subjecto vel vix conspicie-
 bantur , leviter tantum expressi , rudis & negligens
 B dicor.

dicor. Fateor autem si methodo Ruyschiana, fraude nempè & fuco fuisset usus, vasa hæc distinctius potuissem designare: sed videat Aristarchus noster, quid de nervis vasisque sanguiferis eorumque distributione in genere monuerim, sub explicatione tab. 23. *âb trunco, in trunculos, ab hisce in ramulos distribui & tandem suis capillamentis visum âufugere, aut ab invisibilibus capillamentis, tubulis, in majores & tandem in truncum abire omnesque & singulas adire corporis partes*, primum de arteria & nervo, alterum de venâ & ductu lymphatico statuendum. Bronchiis, verò aliisque aëra, vel liquores vehentibus tubulis, alia, sed huic scripto non inferenda, est dispositio, distributio, collocatio. Sed hæc omnia ridet cavillator illepidus denuntiatque Epist. 8. pag. 5. *vix attendi debere, ut ipsi videtur, meam opinionem; vasorum, scilicet, sanguineorum operosum illud examen & accuratam eorum in cunctis partibus reptatus descriptionem de nihilo prorsusque supervacuum esse, eo quod ratum firmumque jam sit, omnes partes iisdem scaterere, quia nutriuntur, cum assumpto illo ratiocinio alias tota etiam neurologia inutilis reddatur, que tamen ut maximi laboris, ita & summi usus est, quia nervorum per omnes corporis partes distributio pari probabilitate ex earundem nutritione & sensu concluditur.*

Narraverim potius ego ipse, quid ex cathedra in usum chirurgicum de vasorum reptatu & nugatoriis partium præparationibus impletionibusque professus sum. Sustinui & sustinebo reverenter, usque dum aliter edocear, neurologiam scitu medicis chirurgisque longè esse digniorem, sanguiferorum vasorum cogni-

nitione, eâ præsertim quæ in perscrutatione intricatarum arteriolarum venarumque propaginum, minutissimarumque earum microscopiis vix & dubiè demonstrabilium plexuum, indagatione occupatâ, verum anatomico-medicum aut ignorat, aut negligit studium. Argumentabar, pro hac sententia, minutulorum nempe vasorum sanguiferorum læsione, vel parum, vel nihil periculi, ex minimo verò nervulorum vulnere, ipsius vitæ discrimen esse ~~tim~~endum. Rideat hæc iterum, subtilis lanio, legat verò interim, quid de inutili & subtiliore anatomia pronuntiaverit experientiss. Malpighius: sed quid Prælectori Ruyschio cum Malpighio? quem toties refutat: tu ergo (lector erudite) scias, magnum virum futilem hanc respuere anatomicam. *Quid hodie* (ait, ubi de Galeno, minutiis districtos reprehendente anatomicos, ipsi sermo est) *scriberet, si videret studium medicum in fibrillis, reticulis, glandulis (NB.) miliaribus & minutissimis aliis particulis consistere asseritque cum Gavassato, tantam esse nonnullorum anatomicorum curiositatem, ne dicat stultitiam, ut si quis in dissecan- dis musculis ex uno duos efficiat, aut renum alterum, altero elatiorem observet, aut jecur pauciores, aut plures habere lobos, aut quasdam venas habere ostiola, aut aliud hujusmodi (scilicet venulam ceraceâ suâ materiâ impleat) hunc tanquam Deum venerantur, mirantur, suscipiunt & tanquam stupidi observationem illam intuentur: renunciatis mi- ferrimum in genere, ego in specie Prælectorem Ruy- schium, anatomicum, cui œconomix animalis, nec vel leviter studium exstat perspectum Physicum. Qui*

hoc de themate plura volunt, perlustrent Malpighii opera posthuma, posteritati dignissima, præsertim ab pag. 84. tit: de Recentiorum medicorum studio.

Sed audiamus de inventis suis meritò, ut ipse testatur, loquentem archi-anatomistam nostrum, ille ipfissimus ille est, ut numerosè intonat & graviter, qui arteriolis pericardio & diaphragmati communibus, nomen, ut inventor, concessit; pericardio-diaphragmaticarum. Miror sanè meritissimi viri humilitatem! potuisset enim (licet forsan te iudice epithetum hoc canorum satis & plusquam sesquipedale sit) hæcce arterias Ruyschianas appellavisse & quidni? cum minoris momenti non sint membranâ Ruyschianâ: miror laudoque hunc ejus gloriæ contemptum, cum compertum habeam, ipsum quondam, vasculo ceraceâ suâ materiâ impleto, gloriatum fuisse, ac si æternæ Urbis opera pristina restituisset majestati atque rem peregisset memorandam novis annalibus atque recenti historia; vereor autem ne virtute hæc & ab philautiæ vitio modesta averfatione, oblivioni traditis, Megera superbia, brevi, ex quo jam depellitur, antiquum repetat & fixum figat domicilium.

EPISTOLAM TERTIAM.

*Sic est, quodque verebar, accidit, tertia enim propria & foetenti turgens laude Epistola, præcipuè confarcinata videtur ad famosam, quam autem riserunt erectæ indolis & candidi pectoris medicorum filii, NOTIFICATIONEM de novis inventis suis, cadaverum conditura, viscerum exenteratione, membranarum præparatione, vasorum impletione & quæ plura, prodigiis incredibilia, vanus indecenti ferebat promissor hiatu, tuendam. Fateor me, qui ferreus, stoicus & aphonus non sum, cum aliis risum tenere, illa quippe rumpere nobis videbantur verbaque fale, forsan, non insipido conspersa reprimere, non potuisse; non quod aliorum labores lucubrationesque superciliosè intueri ego quidem soleo, sed ubi de veritate, aut pro decoro (deerant autem huic NOTIFICATIONI duo hæc requisita maxima) agitur, adulari nescio: dixi nempè, istam NOTIFICATIONEM, circulatoriâ splendere eloquentiâ nihilque esse quod credere de se non posset Ruyfchius; addidi, cadaverum *ultra biennium conservatorum* (quod decies & quater hisce literis gloriatur) hanc demonstrationem esse fucatam istaque corpora (taceo ridiculum eorum plumis, vestibus pretiosis fimbriatis, apparatus, oculos vitreos, genas colore rubentes roseo & quidquid fulgenti bracteolæ simillimum, infantes aliquandò, viros verò nun-*

quam allicere aptum est) non balsamo condita; sed liquore & arte mihi nota & jam dudum orbi literato, sub titulo spiritus Balsamici studiosisque meis tradita, conservari: Eo enim devenerat imprudentiæ, ut cadavera (licet partes deteriso prædicto liquore brevi deficcantur) madore hic & alibi tincta, proferret. Exponat, si vir sit, hæc cadavera aëri, æternitati enim arte sua & nova consecrata dixit; experietur cum dedecore, quàm brevi, fæda obducatur nigredine, toto qui est in cadavere pallor quàmque citò evanescat inque fumum abeat fucus meretricius.

Affectata tamen & nova, scilicet, hæc condiendi cadavera methodus vulgo atque huic & illi idiotæ medicastro placuit: sed, Catone iudice, *quidquid vulgo placet, vel solum ideo omni suspitione dignum, etiamsi quoddam virtutis specimen præ se ferre videatur.* Sed ineptus sim & arti Anatomies dirus, si dissimilem atque prælectorem Ruyschium non agnoscam *laboriosum, indefessum, die ac nocte rebus intentum anatomicis maxime, intellige, fucandis, adulterandis minio, cocco, ceruffâ & quavis arte meretricia exornandis: hisce, fateor, se supra communem anatomicorum famam & sortem extulit altissimè.*

Perstringit me, ut opinatur, acriter & meritò, pag. 9. quod arterias, in cordis auriculas dispersas, delineandas non curaverim distinctè: curavissem, si flatu distentas auriculas cerâque turgidulas arterias exhibere ratum duxissem. Sic totius corneæ membranæ sanguifera vasa arte demonstrabilia exstant & in ophthalmia insigniter turgent, in statu autem naturali hic

tantum & alibi conspiciuntur. *Quæ* ergo propter earum exilitatem flacciditatemque non apparebant, fingere. & pingere vasa nolui. Quamvis argumentum non procedat, mihi licere, quod Ruyschio facere placuit, potuisset enim malè egisse & ego, si ipsum sequerer, itidem malè agere: rogo tamen quare ille passim in observationibus suis, de quibus per transennam postea & præfertim pag. 58. 109. 113. 114. 117. & alibi uteros, vesicas felleas, intestina aliaque viscera, ullo sine vasorum sanguiferorum vestigio exhibuit? sed in promptu causa est; etsi hæc organa vasis non erant destituta, non tamen apparebant; ergo Ruyschius hic secundum me, rectè, illa non exprimens; sed ego qui idem illud ago, quod ille Epist: 9. pag. 10. melius præcipit quàm efficit, *vasa delineare non affecto, quæ oculi mei nunquam tetigere*, ea autem, ut apparent, delineo, secundum Ruyschium, malè. Pergit *Iovis arcanis Minos admisus* prælector Ruyschius longaque, ut solet, ambage & inconcinno inficetorum strepitu verborum, arte declamata sua *aperitur* (vide pag. 10. artic. 6.) cui notum est *novum hoc artificium fenestra manifestandi arteriarum extrema. Aperitur fenestra*, sed parte, ut mihi videtur, ad aperta una, clausa altera.

ILLA IGITUR MEDICO LUX EST PRÆBENDA TY-
RONI;

CUM TIMIDUS LATEBRAS SPERAT HABERE DOLUS.

Vix enim quidquam per hanc *fenestram*, vel ipsos anatomicos solertissimos, videre confido: ex hac ergo *fenestra*, amens quasi, profiliens, transgressus au-

riculas cordis, irruit in me, pag. 12. *negans aortam arteriam dividi, distribui, in ramum ascendentem & descendentem, ut ego tab. 23. eam exhibeo: sed rogo magnificentum censorem permittat, quædam pro causa dicam mea. Ipsi Epist. 2. pag. 10. arteriæ mammariæ interiores bis inordinata ramificatione, inordinato, credo ipsum velle insolito, irregulari, cursu distribuuntur. Quo jure negat, hoc, in aorta ejusque divaricatione, ab me observatum? placet, enim, ut ipse ait, naturæ aliquando varietate frui. Epist. sextâ, pag. 11. ludit, ipsi, natura sæpius circa arteriæ bronchialis exortum; sed vasis, mihi delineandis, ludere non licet, hisce, more solito, modestè, incedendum est: sed monente Seneca, ignorat naturæ potentiam, qui illi non putat aliquando licere, nisi quod sæpius facit. Sed ut solidius, non dogmaticum; sed demonstrativum sit responsum hoc, scias velim, Arteriæ aortæ truncum primosque ejus & minores postea ramos, rarissimè aliter, quàm demonstrato modo, per partes corporis dispergi; vide post Vesalium, Spigelium & neotericorum observata; adde secundò, hanc meam delineationem non pugnare cum vasorum arteriosorum systemate universalî: quod mox ostendam de ejus delineatione arteriæ Bronchialis &c. sed cui bono ratiocinium hoc in medium profero? surdo qui fabulam narro, rejicit enim ratiocinia ut chimeras nititurque unico experientiæ sulcro semper (vide totam ejus ad lectorem epistolam, observationibus suis præfixam & hunc locum, pag. licet sine numero, secundâ) si autem & hoc velit, ut nec ab hac parte claudicat*


cet

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.



Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a caption or footer.

* Vide , Observat: Ruyschian: xci. descript: ab
pag: 115. ad 117. *cujus*



Figuræ , 73. & 74. Expositio , *hac est.*

A. A. Intestini jejuni portio , *cujus medium*
a. *Valde est coarctatum aut contractum.*

B. Pars ejusdem intestini , *in cuius medio b. b.*
Susceptio comparet.

cet apologia hæc & experientia mea quoque conveniat delineatio, affirmo arteria aortæ in ramos distributionem, ut eam eosque delineavi, nuper Amstelod: ab Cl: Doct. Med. D. Rau, demonstratam fuisse. Nota tandem, totum ejus tertium iconismum quemque in textu non describit, & novum gloriatur, male ex clariss. Loweri fig. x. esse depictum: sed nondum censo rem demitto incautum, subjungit enim huic epistolæ tres figuras; quarum prima, *radicem aortæ arteria cum suis ramificationibus* (adfit & legat ipse sua verba Ruyschius, pudor enim, licet legat hæc ipsumque mox falsæ fictitiæque delineationis & conturbatæ rationis reum sistam, non obstabit) *per cordis humani substantiam ejusque auriculas, nec non per tunicas aortæ disseminatas, continet.* Quid si ipsum Impostorem renuntiarem? dicendo nè ipsum impostorem probarem? non; sed si probaverim, tu nè mecum (lector æque) ipsum renunciabis impostorem? credo quod sic. Arterias ipsas coronales per cordis substantiam (id est musculos) disseminatas, seposito omni musculofo-venofo-nervofo-lymphatico-membranaceo apparatu, in integrum, cordis nihilominus servatâ figurâ, sine fucò, id est, nullâ aliâ, nisi impletione vasorum, adhibitâ arte, impossibile exhibere, liquet.

Primò, quia arteria coronales, in ipsas cor constituentes musculares fibras divaricatæ, tam subtiles sunt, ut nec microscopiis, quæ hic cerâ quasi impletæ exhibentur, videri earum extremitates possint nexuque tam intricato & sine laceratione non solubili, fi-

bris cohæreant, ut idem, cum fibris hisce, corpus, vel organum constituere videantur & circa earum extremitates opus potius sit ideâ (*mentis oculis*) quàm delineatione fictitiâ, sive Ruyschianâ.

2. Quæ per mutuas vasorum anastomoses plexiformesque inosculationes conjunctæ repræsentantur arteriæ externæ & membranam cordis ornantes, interioraque petere ineptæ sunt, ramulos cum non emittant & si hic & alibi emissi dicantur, numero muscularibus ordinibus, taceo fibrarum acervum, non conveniunt, ergo delineatio hæc omnium arteriarum non est.

3. Arteriæ, quæ abscissæ (quasi) repræsentantur, aut cordis membranæ inseruntur, aut non; si primum concedat, manca est hæc delineatio: coronales quippe arteriæ ipsam membranæ cordis substantiam perrepantes abscissæ sunt. Si secundum statuat, non inseri hæc arterias in ipsam substantiam membranæ cordis, dicat, cui parti cordis ergo inserantur ostendatque in hac figura, arterias coronales membranam cordis exterius permeantes omnes & cæteras.

4. Cum musculorum ordines ex hisce partim, partimque ex profundioribus ramulis, ab secundo coronali trunco emissis, sanguinem hauriant; abscissis primis, deficiunt, in hac delineatione, arteriæ ab externa parte deductæ interioresque musculorum ordines pervagantes.

5. Lege œconomix animalis; imo & experientiâ constat, arterias ab majoribus in minores ramificari; hæc verò in delineatione, ramuli quidam ab minoribus, in majores abeunt.

6. Quæ musculis est latitudo (anatomicè crassities) eadem debet cuidam, huic musculo, destinatæ arteriæ, ab quodam latere, sive superficie, esse longitudo (sive extensio) ut nulla latitudinis pars, arteriâ & nutritione destituatur: hac in delineatione nulla est arteria, quæ ab ulla musculorum ordinum superficie, ad medium eorum latitudinis extendi potest; illa itaque media pars musculi, quam nulla adire potest arteria (deficit enim requisita longitudo) non nutritur. Pluribus argumentis hæc non persequor, ne tibi, qui hæc ad normam procedere, non negabis, oneri sim indecenter. Jam, ut autumo, non hæsitas prælectorem Ruyschium, hac in parte, impostorem fumi-vendulum renuntiare.

Quæ hæc est insolens & Ruyschiana audacia? quæ hæc chimæra nova? pueris, scilicet & barbatis imponere facile est: caveat autem sibi, nè hæc & alia examini subjiciantur ulteriori. Possè *mentis oculis videri*, concipi, quomodo arteriæ coronales divaricari debeant in corde, quis mente non carens, lubens non annuit? posse & hujus divaricationis, ex quadam materia, juxta hanc ideam, systema, ex parte, efformari, crediderim & ego facile; arterias autem ut sese, ipso in corde omnes & omnes verè habent, ceraceâ materiâ impletas, exhiberi posse, nec ipsa quidem Credulitas affirmabit. Nè autem dicar in prælectorem Ruyschium debacchari, ipsum in posterum non impostorem; sed hominem pingere & fingere aptum renuntiabo.

EPISTOLAM QUARTAM.

Ad Epistolam quartam, lucido quodam in me, ut videtur, furoris & invidiæ intervallo, concinnatam, regero (par enim jam pari referendum) primò.

Dicite iò Pæan, medici, votis enim favet meis, animum rigentem domat turbidamque solvit & rugosam inimici frontem mei; qui nuper amens, sibi aliisque gravis, nunc Chiron præceptor existat alter & doctor anatomix publicus.

Celeberrimus prælector Ruyschius, cui hac in Epistola, de liene præsertim sermo est, *oculatissimum Malpighium & me* (duos enim, unâ fideiâ, denigrare parietes simul, ipsi factu est facillimum) *illum describentem, me* (ut ait) *depingentem glandosum lienis corpus* carpit, ut solet, doctè. Honore excidimus ambo; negat quippe celeberrimus Prælector Ruyschius, qui observat. LI. pag. 67. *Hæc habet, jam lien glandula audit, nec immeritò: si enim glandulas lieni sæpius adsitas, imò & thyroideas ritè examinaverimus, eas à liene parum differre observabimus. Multum quidem à pancreate & glandulis salivalibus discrepat lien, attamen jure merito pro glandula habetur; dari hoc in viscere glandulas, quod impletione vasorum, ope suæ materie ceracæ demonstrare conatur: si autem non dentur glandulæ arteriarum venarumque inter fines, vel latera, nec ullum inter hæc vasa medium; nec quædam ex, vel ab ipsis vasis, amandandi succum nutritium*

me.

methodus, aut organum sit (quod autem ego non affirmo) debet necessariò sanguis arteriosus mox transire in venas; effundi in quoddam spatium, vel partium interstitium, aut per poros de vase in vas aliud propelli; quod si ultima hæc neget, colligo, ex priore posito, arteriam cum vena, secundum ipsum, verè, id est, corporis hujus & illius non mutata dispositionis continuitate, unum vas solidum construere; quod rationi contrarium, omnem (sive partes appositione, vel extensione augeri, crescere dicantur) destruit nutritionis recipiendæ methodum.

2. Cum ductus lymphatici, etiam ex sententia celeberrimi Prælectoris Ruyschii, ex intimis & quasi ab lienis peripheria, ad punctum, scilicet vasorum insertionem, succum devehant suum; quæritur, unde & quo modo, hunc hauriant succum? concessa enim arteriarum, cum vena, vera unione, ab hisce non suppeditatur vasculis; adde, nullò ex earum lateribus, vel poris sanguine in aliquod medium, vel spatium effusò.

A priore ergo videtur mihi constare, necessariò existare glandulas, aut aliquod medium, in quo, separationis lymphæ ab sanguine negotium, absolvitur: non enim credo celeberrimum prælectorem Ruyschium, succum hunc lymphaticum, ex quorundam doctrina, ab nervis derivaturum, vel collectionem effluviolorum, vel spirituum animalium condensatorum crassiorumque colluviem affirmaturum; existare in liene glandulas insuper ad oculum demonstrari potest. Primò experimentis Malpighianis; Secundò levi flatus in hoc viscus in-

trusione ejusque exsiccatione ; Tertiò partium exsiccatarum prudenti contritione atque artificiali inspectione ; Porro, injectis prius unius in lienis arteriam ; alius in venam , tertii tam arteriam , quam venam , cerâ atque in lymphæductus mercurio. Hoc ex vario apparatu diversâque valorum facie, constabit primò, esse quoddam arteriam inter & venam medium, quod Clariss. Malpighius glandosum dicit & ego depingo. Hisce plura addidissem de vasis Lymphaticis, ut & iis, quæ in fine, hujus paginæ 9. examini subijcienda existunt : sed cum mihi proposuerim solummodò illa refutare, quæ ut planè contra me, celeberrimus prælector Ruyfchius, ab annis decem & octo, protulit; transeo ad secundum (ut prælectoris celeberrimo Ruyfchio visum fuit, Clarissimi Malpighii & meam de fibris lienalibus vocare opinionem) errorem nostrum.

Afferit, in liene vitulino, non autem humano existare fibras. Validiore & quidem Achilleò ipsi, non autem nobis, est argumento, *se eas nunquam offendisse*. Ergo, ô! frigidum ergo; quod celeberrimus Ruyfchius non offendit, non datur: venoso autem ductui ejusque propaginibus, de quibus admodum jejune sermocinatur, fulciendis, non magis inserviunt hæ fibræ, quam reliquis vasculis cellulisque firmandis; tegmine namque ex staminibus quasi & tramis conflato, partium ordini & dispositioni ad earum collocationem, opus erat.

Pag. 10. increpat, me, ubi cellularum iconismum lienalium exhibeo (Tab. mea 35.) *non lienem totum, sed ejus tantum partem representare* : nempe partes, non

autem totum repræsentare, uni, soli, celeberrimo prælectori Ruyschio competit, licet, permissum est: vide ejus Epist. 2. pag. 9. ait enim, *difficillimum foret omnia vasa sanguifera per integram membranam pleuram, ut & peristostia, per totum thoracem, per icones illustrare, quam ob causam particulam aliquam sufficere posse reor, in qua abundè satis omnia vasa mirè reptantia, videre est.* Sit mihi idem jus; quodque celeberrimo prælectori Ruyschio momentosum nimis est, rogo Professori Bidloo non imponatur onus. Mutentur mutanda (si omnia mea unâ literâ expungenda forsitan non sint) ego enim de Liene, ille de Membrana Pleura agit & habebis (lect. præstantiss.) responsum meum. Eâdem & sequente pagina II. *lienens Humanam membranam admodum tenuem & fragilem pronuntiat, ut vix manu tractari queat reprehenditque severè (& secundum me, paratum laudare celeberrimum prælectorem Ruyschium, si vel modò benè ructaverit, rectè eos) qui sese magis applicant indagationi brutorum, quàm humanorum corporum; ut autem videat, celeberr. prælect. Ruyschius, me & humanos examini subjecisse lienes, dignetur perlustrare tab: tertiam, integram lienens humani, flatu & artificio distentam*

A. A. A. Membranam exhibentem inque eâ vasa;

B. Arteriæ splenicæ ramum majorem,

C. C. Ejusque divaricationes, rubrâ, ut & ejusdem nominis

D. Venam, viridi cerâ, impletam ramulosque lienem intrantes ejusque in superficie spectabiles;

E. E. E. Vasa itidem Lymphatica;

F. Mer-

F. F. Mercurio turgentia nervumque

G. Huic parti destinatum; dignetur itidem consentire *membranam hanc adeo tenuem & fragilem, manu esse tractabilem*, non quod arguo ipsi vel quidquam ab me esse discendum; lepus enim pulpamentum quæreretur, qui me, eâdem paginâ, discipulum suum vocat. Si quis ipsum, publicè docentem, audiat, ejus est discipulus, ego, reverà, me ejus discipulum agnosco; non autem fore reor, ut vel inimicissimus mihi, vel ipsi vitio veritat, me, celeberrimum prælect. Ruyschium, habuisse doctorem celeberrimumque prælectorem Ruyschium, me, habuisse discipulum: liceat interim (quamvis nè vel minimam quidem exinde captare gloriam velim) te monere, me & quidem ab ipso celeberrimo Præl: Ruyschio velle doceri, nil autem, privatim, ab eo didicisse: cum ipse, in publico Theatro quondam, testatus sit, se vinculi umbilicalis flatu extendendi methodum (alia taceo) ab me didicisse. Quæ eâdem tabulâ exhibetur, figura secunda, membranam, lienem cingentem vitulinum, delineat, in qua A. A. arteria cerâ rubrâ & vasa lymphatica mercurio; hæc, ab extima, illa, ab intima turgent parte.

Tabulæ Ruyschianæ, figuram primam & secundam, etsi pictoria fictio & ornatus in iis etiam appareant, perlustratione dignissimas duco, fracta enim, lacerata abscessaque variis cum vasa sint expressa locis, eas genuinas & rei convenientes habeo demonstrationes; quod de tertia & quarta minimè affirmare licet. De organo lieni vitulino aliorumque animalium, pro vena


in-

Fig. II.



Fig. I.





inserviente, nihil moneo, cum quod de liene humano disputatio sit, tum quod ejusdem, cum vena, muneris esse hoc organum, etiam celeberrimus prælector Ruyfchius, penes quem, scilicet, omnis affirmandi & negandi de rebus anatomicis, est potestas, benignè annuere videatur. tandem, cum celeberrimo Prælectore (lege observat. Ruyfchii pag. 67. hæc ejus ipsissima verba) LIENEM ERGO PRO GLANDULA SANGUINEA HABENDUM, CUM CELEBERRIMO MALPIGHIO, ANATOMICO OCCULATISSIMO, CENSEO. quid plura? credo enim hanc ejus epistolam tibi, ut mihi, stomachum magis movisse, quàm lienem.

I N

EPISTOLAM QUINTAM.

Epistolæ Quintæ pag. sextâ, asserit Prælector Ruyfchius, *exercitatisimum Highmorum & me corripuens, nullas dari radices cysticas vultque, quæ nos (ignolce, lector benevole, quod meo cum tanti viri nomine utar simul, conjuncto ab adversario meo) biliariorum generi vasorum adscribimus, utriusque speciei esse sanguifera.*

Arteriam & venam cysticam, non tantum felleam ipsam vesicam, verùm & hepatis membraneum lamellatim cohærens involucrum perreptare, notum est nimium, quàm, ut illud nova, quasi, indigere videatur demonstratione: illa verò ex vesiculæ felleæ fundo erumpentia, vel fundum intrantia quæque circa hujus organi col-

D

lum

lum deteguntur, vasa esse sanguifera, ut pro gradu dictatoris affirmat pag. 7. prælector Ruyschius, probatione eget ulteriore.

Primò enim constat, vasis omnibus sanguiferis, materiâ ceraceâ, vel etiam mercurio; quod autem experimentum per se fallax, anatomicis imponere aptissimum, ego rejicio, impletis, ablutis sepositisque longam multamque post macerationem glandulis, vasa hæc inania nullâque infarcta cerâ, aut mercurio observari.

Secundò, omnibus sanguiferis iterata injectione tepidæ, omni ab sanguine purgatis, atramento postea, vel alio fluidiore & subtili saturoque colore tincto, liquore impletis, compertum habeo; prædictorum nullum vasorum, nè minimum quidem quid, hujus liquoris in sese recipere, vi licet summa & siphone per cavam, vel portæ venam, arteriamve hepaticam vicissim., alternatim, una vice, vel simul, vasculis nunc hisce, tunc illis ligatis, infundatur vasaque turgeant præter modum omnia.

Reperisse se felleas Vesiculas, in brutis, an hominibus non addit, fundo suo hepatis neutiquam connatas, non minoris momenti ipsi, mihi verò nullius, est, ad comprobandum ipsius prædictum statutum. Vaticinia Ruyschiana, ut dicta prudentum, non rarò Delio indigere Natatore & hasce Epistolas, juxta Afranium aliosque Epistolarem stylum docentes, conjecturæ locum cedere, prima vice jam non experior: hæc videtur repertarum vesicularum observationis fellearum, sine radicibus cysticis in fundo, con-

se-

sequentia: quæ carent cysticis radicibus vesiculæ in fundo, bilem non recipiunt. Sed nego, cum venia prælectoris, sive miserrimi anatomici & subtilis lanionis Ruyschii, ineptum hoc majoris ejus assumtum. Primò, in hoc & illo individuo animali radices cysticæ ipsi collo, cujus parte media insignis existat ductus cysticus, ut observare est Tab: mea 38. fig. 4. inseruntur bilemque, hoc modo, recipit vesicula. Huic collo cum adhærerent, proculdubio, quoque insertæ ipsi fuerunt. Secundò *inordinata ramificatione & inordinato cursu, ut arteriæ mammarie internæ*, Epist. 2. pag. 10. ab prælectore Ruyschio exhibitæ, aditum sibi ad cololum, vel cum poris bilariis conjunctionem paravisse, verisimile est. Ipse prælector Ruyschius exhibet pag. 113. in repositoio, 5. N. x. *ductum cysticum*, è quo *variæ radices*, sed hanc vocem corrigens, addit, *potius rami erumpunt*; vide, lector erudite, ut tam acutum caput nil fugiat; est autem ex corpore bovino.

Tertiò, de monstrosis, aut malè conformatis, in œconomia animalis, certi nihil statuendum.

Exhibui præterita hyeme auditoribus meis vitulinum hepar, cui tota deerat vesicula fellea: sed quid illud ad rhombum? an omni propterea destitutum fuit illud hepar bilis secretionem? aliter longè; bile enim mucosa turgens insigniter, ante communem ductum, Bilarius porus, Cloacæ, vel receptaculi adinstar & collectionis hoc munere fungi visus est.

Bilariam vesicam humanam (non enim bruta tantum ab me perlustrantur; *quorum autem in sectione medi-*


cum versari debere, si operum naturæ cognitionem affectat, commendat, cum acutissimo Riolano, omnis antiquorum & neotericorum anatomico-physicorum adepta cohors) confervo, cujus collum calculo, biliosa ex materia conflato, obstructum, dum hepar ipsum cadaveri annexum examini subjicerem, tam arctè conspiciebatur, ut nè vel quidquam liquidi per tractum ejus in communem ductum progredi sineret; absit autem cum omni ineptiarum genere, ut statuam (pro incongruo statuto Ruyschiano supradiçto) proinde bilem secretam ab sanguine, in quendam locum non esse depositam atque ex eo amandatam. Habet quoque musæum meum (licet cœmeterium Ruyschianum non referat) intestinum duodenum humanum, in quo ductus communis bilarius ab pancreatico, ut in cane aliisque animantibus, quatuor transversorum digitorum longitudine distat; quæritur, immeritò, usu nè idcirco & officio, hæc vasa ab iis differant, quæ uno in prædicti intestini cavitatem orificio hiare comperiuntur.

Si digressiunculæ locus sit, observatu indignum non arbitror, anatomes & materiæ medicæ studiosis, calculos ex bile oriundos, aquis innatare atque igne cujuscunque sint coloris, figuræ & magnitudinis, comburendos existere, ut plurimum autem, vide tab: quartam, duos calculos majores,

A. A. Et minores plurimos,

B. B. B. Ostendentem, plurimis maculis nigrescentibus punctisque in hisce albidis & figurâ depresso-rotundâ variorumque exstructi laterum reperiuntur.

Ab



Ab incomparabilis Stenonii opinione alienus quidem non est prælector Ruyschius, o! felicem incomparabilem Stenonium, quòd ab partibus, ex parte, suis, sit Prælector Ruyschius! quâ nempè posuit, omnes membranas quæ in thoracis, ut & abdominis cavo humore aqueo irrigantur, glandulis esse obsitas. Sed connectit hisce; attamen illas hætenus, non nisi mentis oculis, ulli videre licuit, ingenii sanè politissimi & acris judicii testimonium: prudenter enim dubium hoc movens, Stenonii gloriolam deprimit, ut non confirmatam; suo autem de glandulis miliaribus & vesica fellea, cujus membranam tenuissimam, sed malè tab: 5. fig. 3. exhibet, honori & meritis non leve addit pondus, præsertim quod formam seminis milii quoque æmulentur, & quod notandum, per universam vesiculam felleam bovinam brevi intervallo dispersæ inveniantur. Hoc prælector Ruyschius notandum putat. Sed vix credo ipsum notavisse meum NB. pag. 11. volui indigitare ipsum MILIUM PERTEREBRARE & TORNO SCULPERE: notandum porò, glandulas hasce miliares, cum magno Malpighio, ab oculatissimis, ex glandularum ordine, rejiciatatomicis,

cum sint vasorum plexus, quales ille in liene, loco glandularum, ipsis obtrudere conatus est, qui in vesiculæ felleæ membranam, Ruyschianas *glandulas miliares*, nec in lienem, plexus Ruyschianos vasorum & stupendum artificium, admittunt.

Quod de intestino cæco leporino pag: 9. profert argumentum, circa bilis motum progressivum, licet absolum, contra me enim propriè non est, non tamen refuto.

Eâdem paginâ reprehendit, *me vasa lymphatica insigniore numero non delineâsse, imò quina tantum repræsentâsse*, intercede quæro, lector benivole, instrue præclarum Censorem, *me mentis oculis plura, carnis, sive meis autem* (utor ipsius verbis, cujus gratiam captare, ut noſti, summoperè fatago) hoc in subjecto, alia non observâsse, nec autum fuisse pluribus, ex conjectura, hepatis hoc & delineationem meam ornare; paratus plura in alio hepate impleta mercurio ipsi offerre; modò mihi integrum sit ipsum monere, sibi caveat in horum vasorum infarctione, nè illorum interstitia & membranæ duplicaturam potius, oneret, quàm ornet pluraque iterùm quàm oportet, vasa fingat. Sepositis Epistolis sextâ, septimâ & octavâ, utpote contra me nihil, nisi problematicè duobus locis, ad quæ in transitu responsum tuli, continentibus (quæ enim de arteria Bronchiali nugatur, mox ad examen & limam vocabo) accingo me ad ea vindicanda, quæ Epistolâ Nonâ ineptè notantur.

I N

EPISTOLAM NONAM.

Videbar mihi , inter legendum , post graviorum reprehensionum castigationumque nimbos , otio frui decenti & tranquillè Pallade meis adspirante votis apricari : non aliter ac naufragus , vindice fortuna , salvus , tumidis emergit ab undis & *laceram reficit peregrino in littore puppim*. Sed eheu ! gravior instat mox non reprehensionum , sed opprobriorum , sannarum , convitiarum sarcasticorum acerbissimorumque procella velox : hæret Ruyschius , minatur , æstuat , iræ enim veteres novi notas : vos autem qui ipsum *mystam* , cui *sacraria naturæ patent soli* , renunciatis , hunc fida , famuli & adultores , turba , dum excutiat Deum retinente , nè quid impotens peccet furor ; ego interim omnium , quæ me hac in Epistola spectant , historiam lectori meo tradam simulque ejus subjiciam reverenter judicio , quæ , de secunda cerebri membrana , sustinui publicè : Mense , hujus Anni , Aprili , dissectioni Ruyschianæ , cadaveris virilis , dum fortè interesset , conabatur auditoribus persuadere , demonstrare , inquam , membranam cerebri secundam , non esse adeo crassam , separabilem ab duabus meningibus , nec ea valorum sanguiferorum multitudinem ditatam , ac meæ tabulæ octavæ , figurâ quintâ , delineantur ; interponens jejunæ suæ dissertationi , circa hujus membranæ detectionem primam , intempestivas acerbissimasque , in me , audi quid tulerim , irrisiones.

Su-

Superbiens postea, se me præsentem, hæc omnia dixisse, me verò nè gry quidem retulisse in contrarium. Fateor, parum abfuit, temperare enim animo vix potui, quin huic ejus illicitæ audaciæ aliquid reposuissem, sed linguæ imponens modestiæ numellam, impetum frænare valui: dum enim, omni posthabito prorsus decoro, ulcerosam suam pruriginem lacerandique detestandam aliorum famam consuetudinem, impudenter patefaceret, iste miserrimus lanio & anatomicorum scandalum, decorum me observasse compertum habent auditores. Tacui porrò, nè ulterius, oblitus sui rerumque demonstrandarum, balbutiret, verba suggerente hæsitanti errantique patri, patre meliore filio: accedebam enim auditor tantum & licet sæpius vexatus rauco hoc prælectore, loco esse aliquid reverentiæ tribuendum honorifico, animum, ut potui, induxi meum: erant autem, qui euge! benè! feliciter! eos digito demonstrare & dicere isti sunt; hujus defensionis non est, alterius loci esse poterit: novit enim probè quos velim, improbus Ruyschius. Demonstratione belgico idiomate celebratâ, post plurimorum decessum, animum aperui candidè, hisce verbis;

Myn heer ik bedank u voor uw Caressen; op zoo goed weerom, als ik u eens op myn territoir zie; toch ik zal u te vooren daar van kennis geeven, als ik het doen zal. Quod tuli responsum, ore trepidante; mens enim conscia veri reluctaverat diu, fuit; ik zal by gelegenheid wel eens koomen. Ex re mea mihi non videtur, singula quæ perperam, malè, contra artem, per fucum & more præstigiatorum

rum demonstrabantur ; nec quam confusè , fordide , infeliciter , cum in cerebri perlustratione , tum cranii perforatione (operationes enim chirurgicas exhibere sudabat) omnia administrabantur , multò minus , quibus inficetis & de plebis sentina petitis facetiis , curta recitationis supellex sustentabatur , recitandum autumo , qui præjudicio non seducti , artem utramque perspectam habent istique interfuere tragædiæ , harum miseriarum & miserrimi anatomici testes voco : sed agamus ; meam potius exornem defensionis spartam.

Ut ergo pateat , quid de secunda , cerebrum obvolvante membrana ejusque prima detectione , crassitie , vasis , contiguitate cum aliis partibus & similibus literis mandaverim , offero tibi (lector spectatissime) narrationis , quæ sub explicatione Tab: octavæ exstat op : meo anatom. copiam.

Secunda cerebrum obvolvans membrana , utpote (A) non nota vel saltem non descripta , cum venia dixerim , fusiore indiget explicatione : tertiâ circiter â morte horâ , masculi capitis cerebrum investigans , ablato cranio crassaque meninge & antè elevato cerebro , obviam mihi venit (B) albicans , imo & pellucida membranula . primo intuitu suspicabar me , quod in humidiorè cerebro facile accidit , meningem tenuem sublevatione anteriorum processuum , ab ipso cerebri corpore separasse , vel in duas divisisse lamellas : cum verò rem ulterius indagare inciperem , opportunum mihi fuit observare , membranam quandam (C) minimis sanguineis vasculis ornatam .

E

tenui

tenui meninge crassiore & crassiore tenuiorem, inter hæc reconditam, circa primum ossis cuneiformis foramen (D) ita duabus meningibus affixam, ut vix divelli potuerit, obvolutisque nervis anterioribus sursum pergentem, circa cerebri basin, ubique subjacentis membranæ portionibus & consequenter cum iis ossibus, puta ossis petrosi processui, ossi occipitis & aliis ejusdem asperitatibus firmiter annectebatur. Membrana hæc, quam (E) *mediam meningem* voco in omnibus cerebri circumgyrationibus invenitur, eademque est, quæ etiam *spinalem medullam*, præter duas notas, ambit. (F) Quod in rem præsentem facere potest, spinalem medullam tribus, ad minimum includi velaminibus, receptum est, quidni & etiam cerebrum? cum medulla hæc, hujus tantum sit elongatio. Dubitandi ergo ansam non relinquit; in membranarum enim productionibus observo, quod; ubi ab exortu procedunt, non nisi filamentacea expansione finiuntur, aut ossium apophysibus inseruntur. Sed ne diutius huic rei immorer, hujus membranæ diathesin autopsiæ subjicio. Ad sis jam animo (lector æque) nodus in scirpo quæritur, inveniatur, nec nè, judicato.

(A) Itanè? hæc verba philautiam sapiunt? est nè hoc sibi laudem quæ aliis competit tribuere & gloriam, de suâ felicitate anatomicarum demonstrationum spargere ipse? quid hisce verbis prudentius & reverenter magis?

Agens, de Arteriæ bronchialis prima detectione, Ruyfchius, ait, pag. 11. Epist. 6. *se tunc ne quidem legisse authores, quibus nonnulli arteriæ Bronchialis inventionem tribuunt.*

buunt. Sed proprio Marte, dictam arteriam invenisse sanctè posse testari additque satius esse duxi, tuis petitis impræsentiarum satisfacere, quàm incertam & mancam inventi mei historiam relinquere. Ergo, ab triginta annis, usque in hanc diem, manca fuit; addo ego & est adhuc. Ego itidem sanctè testari possum, me de membranula hac, cum sese mihi offerret primò, nihil de ea legisse. Publici juris factum opus meum anatom: non est, ante A: 1685. multo intercedente casu & infortunio, morte trium virorum, quorum sumptibus illud concinnabatur, morbo, mortem mihi bis, brumali tempestate, minante, lites inter hæredes defunctorum &c: licet novem annos ipsi impenderim, antequàm ederetur; ita ut plus viginti annis membranula hæc, de cujus detectione, & meis laboribus indefessis, minimè glorior, mihi innotuerit.

(B) An hoc significat, velamen crassum? credebam diminutivum hoc, satis enucleare, quid de crassitie hujus organi colligendum existeret; esse nempe tenuissimum: describitur, insuper membranula albicans, pellucida, id est, diaphana, si enim opaca, spissa, compacta, densa fuisset, nec membranulam, nec pellucidam vocare congruum fuisset. Alias enim membranulam, septum narium, secundò, investientem quamque Ruyschius describit suâ (NB.) methodo. pag. 10. Epist. 8. tegmen habeo spissum & densum.

(C) Hisce ne verbis Oedipo opus est? anatomica vox minimis indigitat omnibus anatomicis vasculis (miserrimum & subtilem lanionem Ruyschium excipio) vix visi-

bilibus & exilibus maximè. Sed quæ causa est? cur Ruyfchius, cui vasorum myriades frequentiores, quàm Hippocomo mendacia sunt, admodum ab hisce minimis vasculis abhorreat? si conjecturæ venia fit, (est enim passim ipsius conjecturis & figmentis) crediderim, quia ipse *eorum inventor* non est. Ruyfchio præterea (vide ejus Epist: 7. pag. 13.) licet, *in delineatione piæ matris, ejus membranositatem minus exprimere, idque studio ab ipso factum, ne arteriolæ obliterarentur*; quidni idem illud mihi permitendum? vasa nempe paululum majora, exhibere ad eorum luculentiorum dilucidationem: sed nec hoc quoque mihi indulgeri volo, quæ enim vasa delineata in iconismo meo existunt, *sanctè testor*, hoc, aut simili modo, illo in subjecto, sese visui exhibuisse; adde, quòd celeberrimus Gerardus de laireffe, qui omnia ad vivum depinxit, celeberrimo Ruyfchio hac in arte inferior non habeatur.

(D) Vix potuisse divelli, ab partibus sibi vicinis iisque connecti argumento est, factum hoc aut ab corporum contiguitate, aut vasculorum, aut fibrarum, aut cujusdam mediis interventu, aut quod *membranula* ipsa tenuior esset, quàm ut levi negotio, ab vicinis partibus separari potuerit. Hæc omnia indigitant, membranulam hanc tenuiorem habuisse: *nullam verò reperiri in toto corpore subtiliorem*, vide pag II. nemo prudens statuerit: ita ut ipsum, hac in demonstratione, non subtilem, sed rudiorum lanionem, servato autem titulorum altero, miserrimi anatomici, renuntiare cogar: in oculo, foetus tri vel quadrimestris,

mestris anniol; imo in ipso cerebro, nervorum fasciculos tubulosque proximè investientes, tenuiores hac membranulâ reperire licet.

(E.) Nomen si distinctionis ergo, huic membranulæ, nomine non insignitõ, tribuerim, ab ejus colloca-tione media, inter duas, nominibus distinctas specifi-cis, meninges, quodnam commisi peccatum? quodnam gloriæ cupiditatis signum latet in eo? Bidloia-nam, si, ut ille Ruyfchianam, divulsam ab chorio-membranæ portiunculam quandam, dixissem, lu-dibrio me (lanioni enim subtili hæc uni competunt in-vido) exposuissem.

(F.) Quod hoc loco & initio hujus narratio-nis, detectionis opportunitatem, occasionem, ra-tiocinia & similia deque tribus velaminibus, spinalem medullam ambientibus, quædam exposuerim nemini (lanionem subtilem *excusatum habeo*) lectu tædiosum arbitror.

Animadvertit eâdem pag. me tab. 5. *ingentem* (in-gentem inquam) *portionem* hujus membranæ, *repræ-sentare, id quod impossibile* opinatur.

Ego membranæ hujus partem quandam, ille pleu-ræ (vide ejus Epist: 2. pag. 9.) ad totius imaginem, exhibui, in eo tanè infelix, quod secundæ cerebri delineata pars ab me, eâ pleuræ, ab Ruyfchio (arterias arteriolis, arteriolas arteriolu-lu-lu-lusculis & hæc hu-jus generis myriadibus, exsystemate generali indefini-tum ornante) delineata major (ingentior) reperia-tur. Hanc membranam, cujus pro subjectis & in-

dividuo, crassities varia & differens est; ab utrâque meninge multis locis & insigni portione separabilem, compertum habeo: Primò hydrocephalo, meningum inflammatione, cerebri ulcere & Secundò arte, ut, iterata tepidæ in omnia ad & in cerebrum meningisque, tendentia vasa, imò meninges inter ipsas, injectione; maceratione & levi, sed multa agitatione manuumque compressione, flatu porrò aliisque mediis.

Cogitur quoque mirari, subtilis latio [eâd. pag.] adeo tenues ab me esse delineatas circumvolutiones, quia talem earum faciem homine sano nunquam offendit. Ego cogor quoque mirari; Primò, ipsius de cerebri circumvolutionibus imperitiam: cerebrum enim brevi temporis tractu, ablato cranio, plus minusve subsidens, pro individuâ quoque plus minusve, exteriorem faciem circumvolutionum apparentem facit. Secundò, cogor quoque mirari, adeo inartificiose [cum pictor sit] earum faciem exteriorem expressam: si enim ablato cranio, ad aurium ferè limbos, nasus mentumque, capite ad posteriora reflexo, ut in hoc iconismo, totumque cerebrum conspiciatur, & in ossea compage manu, vel alia methodo non retineatur, recedunt, insigni facta cavitate ab frontis regione crura &, quod vix hic apparet, tota moles cerebri tuberis adinstar posticum cedit: circumgyrationes [ut ait] cerebri pia matre adhuc instructas, neutiquam tam profundas conspici, quam pia matre ablata, ubi sulci & anfractus profundiores visuntur, quid hoc effato insulsius? ablata quippe pia matre ipsa, circumgyrationis figura mutatur, flaccescente & figurâ cedente

cerebri ipsissima, ab involucro soluta, utraque substantia; sed ubi sunt, hac in tabula, vestigia duræ meningis? hæc cum explicatione literæ, G. G. evanuit, aut hoc cerebrum [repræsentatur enim integrum] meninge dura caruit, aut ipse, pictor debuisset notare esse depositum hoc involucrum. Tertio, cogor quoque mirari & repetere Ruyschianum, hujus scripti, pag: 22. adhibitum argumentum. Quod Ruyschius non offendit; non datur.

Hac & sequenti pag. 12. hæc habet; *ne jam dicam aliquid, de imaginaria & chimerica delineatione glandularum substantiæ cerebri corticalis in eâdem tabulâ exhibita, per quas repentina vasa sanguinea, nunquam oculis armatis, taceo mermibus, visa repræsentat.*

Conatur (ut liquet) mala fide lectorem inducere, me hæc omnia, ullo sine optico delineata proponere artificio. Ego rectius ergo tibi (candide Lector) mea & bona fide [vide Explicat: tabulæ meæ decimæ] descripta verba offero. Recitatâ cerebri corticali, medullari, nervorum aliarumque partium dispositione; adjungo hæc; quæ hucusque de prædictarum [corticalium nempe] glandularum & tubulorum facie atque structura dixi, in cocto cerebro, *opticis vitris*, deteguntur: ut demonstrat fig. secunda. Illi nemo disputat, papillas pyramidales corpusque reticulare, primò duplo eorum magnitudine sine & postea ope microscopiorum insigniter adaucta, demonstrare: ille autem mihi, in hac corticalium cerebri glandularum demonstratione, post earum structuræ historiam, uti iisdem denegat mediis; si porro ipsius glandularum

papillarium delineatio sese habeat ut 1. ad 100. quid obstat? quo minus mihi, proportione in corticalium delineatione glandularum, ab 1. ad 1000. uti liceat. Si mea delineatio fit rei non existentis, meritò imaginaria & chimærica audit, si verò rei existentis, non chimærica, imaginaria, sed malè expressa esse poterit, eum autem in modum delirare & insanire miserimum anatomicum vix crediderim, ut affirmet, corticalem cerebri molem, non esse glandosam, aut impossibile statuatur, harum glandularum magnitudinem opticis instrumentis posse delineando adaugeri ab 1. ad 1000., nè dicam 100000. & ulterius; ad primum, de earum magnitudine; hæc enim inepto censori displicet maxime. Videre in hydrope cerebri est, glandulas hæcæ plexusque choroidei adeò quandoque extendi, ut sanguineorum valorum capillamenta, ulla sine artificiali inspectione, appareant insigniter; quid rei est? quòd & hoc hisce non concedat glandulis? cum insuper pulmonales vesiculas [vide observat. Ruyschianarum 20. & 21.] ad pollicis transversum diametrum expansas videamus: ratione autem habita, unius corticalis glandulæ cerebri, exponat subtilis latio, earum inter sese respectu magnitudinis expressæ, & cum ea vesicularum pulmonalium, proportionem incongruam, ex mea tabula.

Ad secundum; de delineationis mea methodo, misero etiam displicente obtrectatori; planum formasset meæ demonstrationis, ut eam probarem veram, formasset itidem & secundum, sextuplicium serierum papil-

pillarum pyramidalium & ordinum foraminum corporis reticularis, ichnographiam, ut probarem malè ab Ruyschio ea alternatim collocari & alia in iis absurda gratis supponi; si dubius hærerem, an satis & non plusquàm satis lectori constaret, me Ruyschium demonstravisse planum, aut meas delineationes earumque descriptiones, de secunda cerebri membranula aquâ & sale non fruisse multo & squallore deterfo naturali, ut decet, orbi tradidisse literato, aut ulterius probare necessum esse, miserimum hunc anatomicum, nec hæc intelligere, imo; ne extremis quidem œconomiam animalist tetigisse labris: asininis sit ergo ejus scabie infami & callosa induratis, carduus, lactucâ labris.

Ultimò, meritis suis luculentissimo præconio exaggeratis adhibitâque eleganti (respectu sui ipsius scilicet) comparatione, quâ (videtis ejus ad Epist. observ. præmiss.) se suaque sæpius ornare solet scripta; *se Maronem me muscam*, quinimo (quo autem curatorio jure quâque auctoritate ignoro) academicis sese miscens negotiis, segnem & academix inutilem exclamat. Quod cadavera examini subjecerim anatomico; quæ exercitia in studiosorum celebraverim commodum; qui & quales mei fuere labores academici, non jactito; sufficiat, me, etsi hiemem integram degerim apud Britannos, sex & decem (absit, ut hoc Philauticas interpretetur) hoc triennio dissecurasse cadavera.

Audivistis, vidistis, percepistis,

ÆQUI, ERUDITI, SAGACES, RERUM ANATOMICARUM ÆSTIMATORES.

Qua ratione, methodo ac normâ quibusque experimentis, exemplis, explicationibus; systemata, partium delineationes & scripta conatus fuerim sustinere mea: vestrum erit, ex hisce colligere, jure, an injuriâ, rumorem de erroribus, mendis hallucinationibusque meis sparserit improbissimum prælector Ruy-schius. Si autem, ut confido, vobis sit satisfactum, vos ipsi me in posterum, contra furoris ejus impetum tueri non negligetis: certior enim hoc fio momento, mordacem & Empedoclea similitate clarum virum, quam celebritatem prohi horrent, in me iterum strinxisse ficam & decimam parare injuriosissimam Epistolam: addat si quid ad contumeliarum effutitarum acervum potest, ego castam positus intra innocentiam, proventum quæstumque studiorum meorum habebomaximum, posse me invidiam pati; ferram ergo reciprocare, cum inhonesto Ruy-schio, cujus implacabile & Vatinianum odium, ab annis ultra viginti, in me sævit, ut indecorum moribus, studiis munerique meo, posthac negaturus, ipsum vobis & invidiæ puniendum trado suæ.


FRED. RUYSCII

PRÆLECTORIS DELINEATIONES.

Causâ peroratâ meâ , quâ , ut reor , non excidi , respondebunt sequentia , secundo hujus scripti articulo. Specimen ergo habe (Lector benevole) quoddam Ruyschianæ industriæ , artis & doctrinæ Anatomicæ.

Posse Prælectorem Ruyschium ridere , quod non percipit , vituperare , quod exequi non valet ipse , mihi innotuit dudum ; errorem autem vel in rebus levissimis agnoscere paremque , absit ut superiorem dicam , ferre compertum habet de ipso , mortalium nemo. Licet ergo , Saxum quasi sudans , nitendo nè hilum quidem proficere ; imo cum Sisypho volvere Saxum videar , indocilis cum ipsi sit & refractaria indoles ; conabor tamen , si non ipsi , tibi saltem (non hominis mores , licet deterrimos , proscindendo , dicteris , sed artem ejus enucleando) anatomicos ipsius deregere errores manifestos ; ut si non ille , tu illos vitare velis.

Fig. I



Vasa delineans, propria manu, lymphatica, vide ejus figuram primam, exhibet, utar ipsius verbis,

A. Vas lymphaticum secundum longitudinem dissectum.

B. Vas lymphaticum à latere.

C. Vas lymphaticum ab antica parte.

a a a a a. valvulæ exhibentur semilunares in dictis vasis.

Quis Anatomicorum ineptè adeò? ut ille.

I. Horum

1. Horum delineatorum vasorum latitudo, sive capacitas, naturalem duplo & plus, equinam superat.

2. Horum vasorum, ab latere, ad spectus flexurâ, sarciminis ad instar distincti, exprimitur, cum una tantum eminentia & quandoque semicirculi parte extrema, ab altero latere gaudeat. Quod ad valvulas, A. A. A. A. indigitatas, illæ magnitudine & figurâ admodum ab vera earum dispositionis similitudine aberrant, ut pro valvulis lymphaticorum, nulli Anatomicorum venire possint. De magnitudine, fiat per mensuram, de figura, ex comparatione hujus, cum delineationibus (meas enim rejiciet) Stenonii, Rudbekkii, Swammerdamii, Nuckii aliorumque, conclusio; ipse ego, an Ruyschius fallatur: plus minusve, debito, turgeant, eorumne *membranula crassa* sit nimis expressa, nec nè, non disputo; nè altercandi ansam, (ut Ruyschius, subtilis lanio) arripere videar. Hæc taceri, hisce conniveri potest.


Sed quis risu non deperit? qui rigidum multorum Anatomicorum Censorem hunc, hepar cum vasis lymphaticis, delineantem videt equinum. Fig. 2.

Monet se *vasa hæc (respectu hepatis delineati) paulò majora efformasse*: cæteræ ergo partes naturali magnitudine, aut minimùm proportionaliter inter sese, exprimuntur: sed ego itidem te (lect: oculate) monitum volo; jam observes, quàm turpiter præterita in delineatione, delinquat quàmque ab veritate aberret rudis ille arbiter, circa horum *vasorum* in homine magnitudinem. Secundo, non omnes glandulas

(exterius hepatis connatæ videntur subintelligi) *se expressisse*; tertio, *hepatis formam* (solum forsan vult) *esse inversam*, in hisce autem non sita est hujus visceris vasorumque delineandorum ratio, nec utilitas demonstrationis.

Sed nulla habita, de partium proportione, facie, aut figurâ, ratione; exprimit sub litt. B. cavam sub diaphragmate abscissam & C. venam portam, vix quartâ parte differentes capacitare; cum venæ cavæ latitudo, quater minimum portæ superet. Ille ipse cavæ humanæ, sub diaphragmate abscissæ diametrum (vide ejus observation: 19. fig 19.) pollicis transversi & quadrantis exprimit; cujus autem momenti in re medica proportionis vasorum sanguiferorum, sive arteriæ cum arteria, venæ cum vena harumque inter sese cognitio sit; videre Physicis, non verò prælectoris Ruyschio est, *explicat: Cogitationum de instauratione medicinae, acutissimi Viri B. de Moor, pag. 40. & tab. 1.*

Venam umbilicalem, in ligamentum degenerem, designat lit: F. sed proh! anatomicorum fidem! Quis stylum hunc, ligamentum credit? Longè quid aliud est, vel nullam rerum designandarum similitudinem, quàm membranulam, plus minusve valculis rigatam, exhibere. Ipsa demum hepatis circumscriptio & figura, crassities, glandulæ, huic visceri adnatæ lymphaticorumque exortus, reptatus & quæcunque porrò in hac tabula prostant, admodum veræ sunt harum partium dispositioni contraria, ut nesciam, quid ho-




C Delineavit Fr. Ruysch.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Illegible text block, likely the beginning of a paragraph or section.

Main body of illegible text, appearing as a dense block of characters.

Illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or footer.



homini in mentem venerit , manu cum superbifica,
huic delineationi , magno quasi facinori & egregio,
auctor & pictor , nomen addidit.

Ejusdem , cum lymphaticis, farinæ est equinarum la-
ctearum venarum , primi & secundi generis delineatio:
eâdem enim methodo & æquè malè exprimuntur : nè
igitur lectori , inutilium repetitione rerum , tædio sim ;
confero me ad disquisitionem in figuram Tertiam, *quæ*
lienem [addat oportuit diminuta magnitudine, vitulinum]
cum ligatis vasis lymphaticis & sanguineis ostendit.

Fig. III.



Peccat delineatio hæc enormiter, primò contra veram A. lienis hujus constitutionem, respectu Vasorum sanguiferorum; vena quippe C & arteria splenica D. ejusdem latitudinis, sive capacitatis referuntur. Secundò vena, adinstar arteriæ, aperta validâque membranâ extracta, conspicitur. Tertiò vasa lymphatica supra æquè turgida, quàm infra ligaturam B. depinguntur. Licet ipse dicat *dum vasa ligantur jam jam vasis lympham effluere & postea, lympham nullo modo (nisi adhibita vi) reduci posse.* Hic, abscissa licet, turgentia & valvularum conspectus exhibetur distinctissimè: sed forsitan, lymphaticis hisce, fervente licet aura vitali, ligatis abscissisque, lymphaticus latex eum fuit in modum concretus, ut methodo, quâ representantur vasa, manserint extensa: ut autem candidè, animi sensa aperiam, hac in re multum valet prodigiosa & Thuscis digna fides libellis.

Examine subjiciamus quoque illam altè sæpè sæpiusque decantatam arteriam Bronchiale, cujus iconismus depingitur Tabulâ Quartâ. Nihil de prima Galeni, Erasistrati, vel Ruyschii detectione, nihil de ineleganti delineatione hujusque magnitudine & similibus, multò minus de partium pulmonem constituentium proportionem inter sese, vel quidquam notabo; nè littora Ruyschiana arando, operam perdidisse stultè dicar; demonstraturus solùm, quæ contra œconomicam structuram vasorumque pulmonalium sanguiferorum stabilitum usum & officium, in publicum protrudere ausus fuit prælector Ruyschius, imprudenter & inconsiderate.

In

Fig. IV.



In hac ergo tabula designatur literâ , ut refert auctor , A. ASPERA ARTERIA VITULI A POSTICA PARTE, ABSCISSA LARYNGE : sed nescio (lector candide) posticam fistulæ pulmonalis partem , cartilagineis etiam ornari annulis ; illa quippe pars , cedens , ubi opus est , deglutiendis per œsophagnum ingerundisque cibis membranæ , ut est , existere debuit : sit autem huic errori & gravissimo venia & impunitas ; modò alios non habeat comites & socios : festinemus ergo lentè ; animadverto enim explicationis fine lit: E. SUMMUM RAMUM (asperæ nempè arteriæ.) IN SOLIS VACCIS & VITULIS INVENIENDUM , designari ; errat iterum , cum in ove multique insuper animantibus , inveniatur. Lit: D. denotatur , ARTERIA BRONCHIALIS , CUJUS RAMULI BRONCHIA , AD FINEM USQUE , CONCOMITANTUR. Brochia hic , ullo sine cartilagineum , ex quibus præcipuè conflantur , vestigio , aut indigitatione exprimuntur ; quæ dum angulosæ & variarum sunt circumscriptio- num loricatimque cohærent , tubulos variorum efformant laterum inæqualesque , nunc eminentiis , tunc concavitatibus distinctos. Cum ergo vix credibile sit anatomicorum quemquam statuere Bronchia , nulla ornari cartilagine , statuo , hanc tabulam malè esse delineatam Prælectoremque erravisse enormiter & crassè.

Sed , absit ut ignoscam primo errori , pedissequos enim habet multos. Ipsius arteriæ exortus , ramificatio , distributio ulterior , ut & totus Bronchiorum tractus , malè exprimuntur : exortus enim hujus arteriæ non curvo-oblongus ; sed rectilineus , ramificationes non

raræ, sed innumeræ; ulterior harum distributio, five capillaria vasa, non ramosa; sed plexiformia, five multo anastomofium ritu concinnata exstant totoſque & omnes Bronchiorum tubulos, in vesicularem ſtructuram abeuntes obſervare, ulla fine arte, unicuique inſpicientium, integrum eſt.

Posthabitis cæteris & minoris notæ mendis, audiamus, quid de ejus *propagatione*, *inoſculatione* deque ejus, cum aliis vafis ſanguiferis, commercio & uſu dicat, *Anatomes myſta ejusque arcanorum rimator longè dexterrimus*: ſed reſpiciat, nè anagyrum commoveat ſuoque nè quid ſuat capiti, promiſſor intrepidus, cui ultra quod decet, aliud ſemper genus remi, vereor nè tandem, capra gladium; ſed audiamus diligentius, de ſeſe ipſo benè & optimè merentem, beatulum, alterum Hyperidem prælectorem, ſermonem (ſcilicet) non publici ſaporis, habentem.

Demonſtratione nuperrimè inſtituta quarta, exhibuit, Ceraceâ ſuâ materiâ impletum vas, quod pulmonalem arteriam vocabat, unâ cum huic accumbente quodam vaſe, alterius coloris cerâ referto, venam, quod pulmonalem affirmabat. Hiſce tertium adhærebat, ſub bronchialis arteriæ titulo, quæ omnia demonſtrabantur in cujuſdam ſubdiviſionis lobellorum pulmonalium initio: mirum ſanè, tum temporis homini impoſtori, (hominem, inquam, fingere aptum) metu & timore membra non trepidaffe, nè adſtantium quiſpiam detegeret, (muſſitabant enim quidam) impudens figmentum.

Fictitiam hanc fuisse demonstrationem , probo ; primò. Arteriæ dictæ bronchialis hic ramulus , triplo capacior, ipso trunco , quàm in vacca erat: addam secundò, quod addidit ipse, ut clarior fit fucus hic & hoc ex figmento unicuique innotescat , quid cæterùm , de cupidissimo hoc gloriolæ miserrimoque anatomico sit affirmandum.

Dixit , fictitium hunc Bronchialis arteriæ ramulum , quem duobus prædictis alligaverat , vel glutine , vel vernice coadaptaverat vasculis , per anastomofin , cum arteriæ pulmonalis conjungi ramis ; jungens hæc in specie verba : *Et quid mirum ? quod hic ramus jungatur cum arteria pulmonali , cum sanguis in arteria pulmonali contentus , non differat à sanguine , qui pulmonem accedit , ope Erasistrati ramusculi , ex arteria magna tendentis.* Erige aures quisquis Ruyschianas habes ; nam **UT VI-DEO , NULLUM DISCRIMEN HABENDUM EST.** Vos autem , quibus meliore de luto , fecit præcordia Deus , notate incredibilem ferè , Prælectoris inscitiam atque prodigiosam , ex stupenda (ut vocat) novaque vasorum *ceraceâ suâ materiâ* impletione & artificio animalis œconomix inversionem : declarat enim eandem esse sanguinis in arteria pulmonali ac in aorta & Bronchiali , constitutionem , hocce concessio posito , imprudente hocce & monstroso accepto dogmate , quale de sanguinis circuitu in genere & per cor & pulmones in specie , consequentiarum futilium sequeretur agmen , non opus est indigitare , *non enim attendi debere mihi videtur illa Dn. Prælect. Ruyschii opinio , licet in Theatro*

Anatomico pluribus auditoribus presentibus promulgata , brevi. Arteria Bronchialis, aut est arteria vera, aut non ; sed est vera; sanguis itaque ex hac arteria in venam effundi debet: si venam dicat arteriam pulmonalem, errat, dum dicit sanguinem non differre in arteria pulmonali contentum , ab eo , qui ex arteria magna ad pulmones tendit, ope ramusculi Erasistrati: est enim Erasistrati ramulus arterioso generi adscribendus: cujus sanguinis dispositionem, ab venoso differre, etiam ab miserimis anatomicis, quinimo ipso prælectore, receptum est dudum.

Ramulus autem, quem ille arteriam bronchiale & solummodò ad bronchia distribui ait, aliis aortæ ad pulmones tendens habetur; quod, postquam Amstelodami, loco publico, demonstratum fuisset luculenter, tandem ille quoque, in Theatro Anatomico, se exhibiturum promisit, *sed res, promissis nunquam responderunt, id quod doctiorum quilibet testari potest.* Postea autem ramulum hunc, (videant quibus præjudicio non sunt occæcati oculi, ejus ad ejusdem numeri scommaticam Epistolam, tab: sext. fig. 5.) fictitium potius, quàm corpori humano convenientem, depinxit; quod, omni de vasorum horum sepositis munere, ratiociniis aliisque notandis, præsens præsentem, digito demonstrare offero.

NOTÆ IN FRED. RUYSCHII
OBSERV. MEDICO-CHIRUR.

Monere videris (lector oculate) fat esse nugarum; esset profectò, si mihi FAMOSAM OBSERVATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM CENTURIAM, ut nugacem, *floci nihilique facere atque spernere liceret*:

SED QUÆ MUSCA (Bidloo) AUDAX SATIS EST,
PRÆSENTE MARONE? *Ruyshio*;
cujus acta, facta, dicta, indefesso extollere cantu, unicum est levamen, solamen, tutamen, quo, ab ejus se salvum faciat homo, obtrectionibus, dicteriis, scommatibus: sine ergo, levem, transitoriam uniusque horulæ meam, in hoc opus, inspectionem: *ut plurimi, qui frustra, multa sibi hætenus promiserunt, (lapidi hoc; sed animato dixerim) de hisce observationibus, vix quidquam (excipio gazophylacia, pretiosa cœmeteria Ruyshiana) in illis, quod ab aliis inculcatum sæpius non fuerit, deprehendant: majora namque & incredibilia promittit, quàm;*

SI MULIER VITULUM, VEL SI BOS EDERET
AGNUM.

In genere communia, ut prodigiosa, proponi, liquet per omnes observationes.

Aneurismatum, (vide pag. 5. & 51.) feliciter & infeliciter curatorum, est observationum acervus apud auctores medicos maximus: vide Hildan: c. 5. pag. 417.

418. Job. v. Mekerem pag. 210. Tulpium l. 4. Cap. 17. Paræum l. 7. 34. Horstium l. 9. observ. 1. vide porrò, de hoc argumento Sylvat. Doringiu. Fernel: l. 7. pathol. cap. 3. Bartholinum, Hornium, Forestum & alios. Patellas modo, quo ille narrat (vide pag. 9.) fractas; imo ex leviori causa, tres vidi ego; quarum duas, hoc tempore demonstrabo. Vesicam in duas partes divisam (vide pag. 14.) & quæ alibi de vesica habet, apud me aliosque videre licet; communia autem nimis, quàm ut experienti viro anatomico, obtrudantur, aut tanti rumoris operi inferantur. Vide Hild: c. 1. pag: 69. Tulp. l. 3. cap. 6. & Massar. Montag. Renum ureterumque ab calculis, ulceribus aliisque morbis, deformitates (vide pag. 19. 21. 73. 74. 99. 101. 119. 126. hisce regionibus adeo sunt frequentes, ut ridiculum sit, de hisce, tanquam de re vix cognita, proclamare: nostratium autem si non sufficient observationes, vide etiam Blasium de renib: monstrosis, Bellin: Mercat: Laurenberg: Someren &c.

P. 20. observ. 14. rogat, postquam se in embryone observasse funiculum umbilicalem, multis hydatidibus refertum, narravit; *unde hoc?* nil respondet, nè, scilicet, jam, quæ ad lectorem dixerat, in præfatione; de Ratiocinio, tradidisse oblivioni videretur.

Ovarium (vide pag. 22.) utrumque ex hydrope sæpius laborare, legere existat observationibus multifariis, præsertim verò, ab diligentiss: Mangeto collectis, vide ejus tom: 2. pag. 970. titulo, *Hydrops cum scirrho*, ovarii sinistri tuberoso & pag. 979. tit: *Hydrops*

drops ovarii muliebris : varias hydropis porrò observationes quærenti, spatiosissimus campus erit, ab pag. 859. usque ad 1004.

Quæ pag. 29. 30. 31. 32. 57. 78. 79. & alibi de partibus pudendis leguntur, præstaret non addidisse, cum passim hii idem & alii casus, ut & quæ pag: 36. 37. 74. &c. habet, apud auctores plurimos inveniri possint. Vide, quos ipse citat; Bartholinum, Paræum, Moricæum & quæ præterea de hisce leguntur, apud 47. auctores, recitatos ab Merklino pag: 158. & sequent: adde, quòd ipsius inutiles de mola historiolas, ad cœtum potius rudiorum obstetricum, quàm medicorum doctorumque chirurgorum pertineant: si cui, hoc de themate scriptores pervolvere, volupe sit, videat Zibezii, hist. de mulier. 1627. edit: Angelellum, Lancæanum, Geitzcoferum de mola & Forestum ab pag. 720. ad 336. &c.

Pag. 43. & 44. placentæ uterinæ in hydatides degenerationem proponit. Hujus, ut & molæ, exemplum apud Experientiss. P. Cossonium, civitatis Lugd: in Bat. Med. Doct. & me est; nota interim (lector erudite) ipsum statuisse Epist: quartâ pag. 9. *placentam uterinam nullis gaudere fibris, nullis glandulis peculiaribus, nec cellulis, vasis sanguineis interpositis* & denuo è contra, pag. observat: 84. *glandulas mutari in hydatides*. Totum ipsius de placenta uterina positum & quæ, præter hæc, hic mendæ occurrunt, qui brevitati studeo, supersedeo. Spinæ bifidæ aliorumque ossium deformitatum (vide pag: 45. & 87.) tot inveniuntur apud Auct. medico-
&

& chirurgico-præcticos Exempla & reliquæ , ut cœmeteria Ruyschiana decies implere valeant : Teste Glissonio , Tulpio , Foresto , Aquapendente , Hildano , Cummeno &c. Naribus (vide pag. 59.) auribusque casu & per infortunium extranea , puta lapides , semina &c. intrudi , præprimis ab pueris , cui matrifamilias , nutrici , ancillæ non innotescit ? obduci hæc crustâ lapideâ in quibus latent partibus , docent , cum Hildano , multi. Quis medicus aut chirurgus (vide pag. 60. &) miratur , prælectore excepto , hepatis duritiem , ulcus , & puris collectiones ?

Pag. 69. tumorem á postico capite infantis depingit ; ante annos autem 28. majorem hujus generis tumorem delineavit ærique incidit publicique juris fecit , Petrus Broekhuysius , civit : Arenaci chirurgus : de hisce multa apud Cortesium , Hildan : Leonidam , Forest : observ. chir.

Pag: 83. Vermium , in partibus humanum corpus integrantium , repertorum historias narrat notissimas ; hisce autem novi addit nihil ; nisi quod , quæ apud veteres neotericosque , ut Aldrovandum , Jonstonum , Goedartium , Swammerdamium , Lysterum &c. de eorum ortu & genesi leguntur , cum sarcasmo rejicit & quidem hisce verbis ; *ancipitem hic hærerere oportet , donec vera & indubitata lux nobis affulgeat ab ingenio illorum , qui omnia mathematicè , & à priori (si diis placet) demonstrare gestiunt.*

Pag, 85. observatione Ruyschiana , dignum lege & MIRIFICE MIRIFICUM facinus.

Exsecuit, nempe, canis splenem & animal mansit superstes!

Vasa sanguinea eorumque valvulas osseas (vide pag. 89.) ventriculum intestinaque, modo non solito (vide pag. 88. & 90.) coarctata, contracta, quisquis viderit, sibi Corinthum adire contigisse, cum Ruyschio, credat; licet apud me quatuor hujusmodi & plura apud alios, intestina, conspiciantur; imo harum rerum indefinitus, apud auctores, numerus sit.

Deesse partes Embryonibus (id est, in foetu male conformato, non posse distingui quasdam) ipsi (vide pag. 93. 94.) cantandum toti medicorum chirurgorumque ordini videtur: hæc autem & similia sexcenties observant obstetrices. Maxima cum hisce ipsi quia intercedit familiaritas, de lucro enim ortum ducit; poterit inquirere, num hæc vera sint? apud (vide pag. 28.) *Annetje-moer in de Blaauwe-Pot, op de Keisers-graft, en Stijntje-moer in de Huyde-straat.*

Quæ ab pag. 104. ad 108, de alveolis dentium, ob varias causas consumtis, dentium vacillatione aliisque symptomatibus narrantur, tam communia, melius dixerim futilia sunt, ut in iis vel nihil sit, quod, modò petatur; demonstrari apud autores; quin imo ex curta mea anatomica supellectile & pauperculo musæo exhiberi non possit.

Nunc attentione opus est; agitur de re, ut videtur, magna, parî Ruyschiano boatui; si enim [vide pag. 108.] tot cadavera non secuisset, nunquam credidisset, arcanorum, aliis anatomicis non perscrutabilium, rimator, cui natu-

re sacraria [vide Epist. 9. pag. 5.] *patent, sterilitatem ex tubarum Fallopiarum clausura, tam frequenter in mulieribus clausarum, causam ducere.* Quid ais, lector erudite? nonnè post prælect. Ruyschium & tu hoc credere poteris? sequuntur pag. 109. & 110. observationes verisimiles duæ, de hisce ergò nihil veri affirmandum.

Quæ pag. 118. de colo. 121. 123. de recto intestino leguntur observata [cætera non refero, cum hæc in transitu tantum notentur; indulgendum quoque aliquid scripturientis genio lectorisque parcendum sit temporis dispendio] reverà auctore suo, quem olent, sunt dignissima. Gratias ergo [Lector æque] tanti ponderis tantique usus, in republica medico-chirurgica, hisce observationibus! gratias ergo ingentes, Observatori felici, prudenti, maximo! duodecim *titulis in isimo* (vide ejus novem Epistolas problematicas) *desinentibus*, glorianti scilicet, merito! gratias, Prælectori Ruyschio, ter triplices indefinenter.

Sed ultimo articulo Epistolæ ultimæ, *de eo saltem securus, atque lætus* (est Ruyschius) *quod promissa sua rebus hætenus responderint*: ut ergo mihi quoque securè lætari liceat & res meæ promissis potius respondeant meis; hisce quædam, politioris Ruyschianæ literaturæ, exempla annecto. Non quòd ego, labra cui puro proluere latinitatis fonte, seculi pervolvere auctores aurei, atque ore rotundo loqui, non contigit; criticum agere, aut velim, aut aptus sim: sed hoc in criticum jejunum Ruyschium, re ipsa & tribus ver-
bis

bis animadvertere ratum duxi; ipsum, ut in rebus, ita & in verbis, *turpiter* errare & *delinquere*: etsi enim vocibus, artibus propriis parumque Latinis, stylo vulgari; quinimò Phrasiologia, vix recipienda, quandòque, ad majorem rerum designandarum explicationem, uti liceat: absit tamen, ut infami Barbariei & maculosæ isti scripturiendi methodo, litteris Ruy-schianis familiari (de belgicismo, tautologia, solœcismo vitiisque me, ipsum; imo Eruditos subterfugientibus, non loquor) ignoscatur, condonetur.

IN RESPONSORIAS.

Epist. 1. &c. *de ad- & in Epist. respondere ipsi eadem res est pag. 9. lin. 15. Vaginulas plurimas productiores esse, quàm ipsæ glandulæ ibid. l. 29. & 30. apta sit pinguedinem recipiendi, & coërcendi.*

Pag. 10. lin. 19. *quod quartam attinet propositionem. Epist. 2. pag. 10. lin. 24. paracentesi. lin. 27. visuntur. lin. 30. quandoquidem indigitarint. pag. 11. lin. 26. prodientem. Epist. 3. lin. 20. præparandi, & conservandi cadavera, quarum &c. pag. 10. lin. 12. saturatiorem. Epist. 4. pag. 8. lin. 2. & 3. quandoquidem sint, & pag. 9. lin. 28. apparentiam. pag. x. lin. 7. à parte mea haud stat, qui eas in liene humano reperiri, statuere velit. ibid. 12. sinuli. ibid. p. 16. inconsentaneum pag. 11. lin. 14. se videnda exhibebant. Epist. 5. pag. 6. lin. 20. ceracea pag. 8. lin. 15. glandulis esse obsitæ lin. 20.*

suntque (glandulæ) in vesicula fellea bovina adeo magna. pag. 9. lin. 9. quid sentiam circa vestra proposita. Epist. 6. pag. 10. lin. 16. loco quod alii & pag. 11. lin. 38. exorsa. Epist. 7. pag. 10. lin. 7. sed de minori parte pag. 12. lin. 11. superiorem verò mensem ibid: lin. 21. maxima de parte.

Epist. 9. pag. 9. lin. 31. & 32. pinguedinem, quæ sub dura matre nonnunquam reperi pag. 11. lin. 14. ad auctorem huncce imitari pag. 12. lin. 17. 18. suspicari licet. pag. 13. lin. 2. considerabiles arterias. lin. 26. honore consecuto.

Qui otio abundant, cætera colligant menda: vox autem & lineola, cùm in hisce Epistolis, & observationibus, quibus stylus & decor defunt, sit nulla, pulverem quæ non foeteat scholasticum quamque in literarii ludi rudimentis, cum cachinno non carpant meritò pueri; pauca & hæc tantum notare volui. Catalogum enim Rariorum, observationibus annexum, non tango, nè Ruyschiana cœmeteria, violare profanus dicar.

F I N I S.